

Viro Clarissimo atq; Eruditissimo

Gottlieb Corbo

A. N. D.

J. H. R. S. R. S.

Multa Tibi debeo propter Aurelii collationem
 summa cum cura a Te confectam. In plurimis
 illa, si a minutis discesseris, cum Schotti
 Godd. consentit, ut colligere liceat, si non easdem,
 (quod ut minus credam. fuit hinc inde minoris
 momenti discrepantia) certe nostris simillimas
 habuisse membranas. Sed amabo, Mi Corb,

114

inspicias Catalogum, an forte sub nomine Plinii,
ut patrum, Sive Nepotis vel Victorini etiam lateat
verus Aurelius, ut hodie a doctis censeatur. Solent
enim paucissimi Codd., ut suis, praeferre ipsius
Aurelii nomen, sed falso titulo insigniri. Modo
ed. absq. molestia tua fiat, gratissimum mihi erit,
hoc si mecum communices. Addidi hinc, de qua
nuper dixeram, Plinii Epistolarum collationem ad
Cod. chartaceum, manu non admodum antiqua,
et saepius inepte aberrante, ut facile Scitulum fuisse
intelligeres. Certe graecas litteras ignorasse docent
a Secunda manu inserta graecorum verborum et
sententiarum, quas attulerat plinius, fragmenta
lacera passim et huius. Non tamen dubito, quin
multis in locis tibi possit esse utilis. Fortasse
una atq. altera, ut inter legendum fieri solet,
in margine conjectura apparebit, quam pro non

scripta habeas velim, nisi aliter Tibi videbitur.
 Ceterum ut ex animi sententia omnia succedant
 opto, et, quod fecit spectata apud bonos eruditos, futurum
 confido. De MSS. Lugdunensibus quod quaeris, non
 admodum mihi difficile fuisset, aliquem Tibi reperire,
 qui conferendi curam summa cum fide in se
 susciperet. Sed nesciebam (nullam enim hujus rei
 feceras mentionem,) an hac de re cum G. Burmanno
 egeris, sine cujus consensu hi codices haberi non
 possunt. Neq. tamen ego quidquam te ignorante
 tentare volui, ne indicis in hanc vel illam partem
 peccarem. Rectissime igitur feceris, si ad me,
 quid fieri velis, et an illorum usum a Burmanno
 impetras, perscribas; omne meum studium in id
 conferam, quod te velle intellexerim. A Drae,
 Mentorchio, quem hac de re consulueram, nihil
 adhuc tibi respondi. Canegieteris ante hos III.

Ure dies, Avieni te collationes accepisse, per litteras
significavit. Ceterum in omnibus iis, quibus opera
mea uti velis, ad omnia semper paratissimum
invenies. Vale et me ama. Neomagi. VI. Kal.
April. MDCCXXVII. Si ad Burmannum des
litteras, non male mea sententia faceres, si
moneas Horum bel, ei, qui conferendi curam in se
suscipiat, permittat, illis domi conferre, cum
admodum taediosum sit, et longiorem moram
requirat, si omnia in publica Bibliotheca confieri
debeant, quam adire tantum bis quavis hebdomade
per duas horas conceditur